

CE\_1 v.1 Discite quam lepide natura his lusit in undis,  
2 qui magni aspicitis nobile vatis opus,  
3 unguibus ille trucis jamdudum saucius Ursae,  
4 qua non Ausoniis pulchrior Ursa jugis :  
5 "Hoc - ait - abluero tandem mea vulnera fonte",  
6 abluit atque novo vulnere tardus abit.  
7 Hae lymphae exstinguent incendia saeva bibenti,  
8 hinc bibit et bibito corruiat imbre jecur.  
9 Hoc mihi pelletur sitis insatiabilis haustu,  
10 haurit et humenti crevit in ore sitis.  
11 Hoc spargam creber mihi lumina caeca liquore,  
12 spargit et illa minus sparsa liquore vident.  
13 O spes fallaces et amantum pectora vana,  
14 saepe fluit morbus quaeritur unde salus.

CE\_2 v.1 Certabant geniusque loci ingeniumque poetae,  
2 naturae vires artificumque manus  
3 in ventura tuum producere saecula nomen  
4 certabant miris Hovera nympha modis,  
5 et fontem hunc posuere tibi super alta Timavi  
6 ostia, qui vitreis sidera pulsat aquis.  
7 Omnia perpetuae conspirant foedere laudis  
8 et nihil his majus quaerere fama potest :  
9 ergo loci genio si non aeterna, poetae  
10 ingenio vives tempora longa tui,  
11 naturaeque diu placito nisi munere vivas,  
12 artificum vives, Ursa, perennis ope.

CE\_3 v.1 Aureole, aureolas aquulas qui, rivule, fundis  
2 et domini exceptas lumine lacrimulas,  
3 igneole, igneolas faculas qui tingis Amori  
4 et magis inflammas quo magis imbre rigas,  
5 ebriole, ebriolos potu qui reddis amantes  
6 ut teneant ullum vix in amore modum,  
7 munere pro tali numquam fons gurgite cesses  
8 aureolo, igneolo currere et ebriolo.